



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1859**

V. Markgraf Woldemar bestätigt den Contract, den die Stadt Soldin mit dem dortigen Capitel des Collegiatstifts wegen der Mühlen getroffen, und gestattet ihr, das vierte Rad anzulegen, am 10. Mai 1317.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55359)

IV. Markgraf Johann verkauft der Stadt Soldin die Lehnbede über Hebungen aus der dortigen Stadtmühle und erlaubt ihr, das dritte Rad anzulegen, am 20. Mai 1316.

Nos Johannes, Dei gratia Brandenburgensis et Lusacie marchio, tenore presentium recognoscimus manifeste, quod cum prouida deliberatione et consilio nostrorum fidelium subscriptorum prudentibus viris consulibus ac vniuersitati ciuium ciuitatis nostre Soldyn presentibus et futuris, vendidimus et per presentes literas venditionis iusto contractu vendimus precariam feudalem super sex choris in molendino suo ibidem perpetuo proprietatis titulo cum omni iure pacifice possidendam. Renunciantes eidem precarie ac proprietati ejusdem per nos heredesque nostros, nec non quoslibet nostri domini successores, concedentes ipsis etiam hanc auctoritatem per presentes, ut in dicto molendino valeant licite sine cuiuslibet prohibitione appendere tertiam rotam, quam licentiam ipsis per nos cum fauore concessam infringi nolumus quoquomodo. Pro premissis omnibus dicti consules pro se et suis posteris dederunt complete nobis triginta marcas argenti Brandenburgensis et ponderis, de quibus dicimus in hac litera ipsos quitos, et ne dubium aliquod in premissis emergat, nostro sigillo muniri iussimus presens scriptum. Testes hujus sunt nobilis vir Henricus comes de Luchow, Sloveck, nostre curie dapifer, Bussu Gruwelbut, Petseko de Lofsowe, Borchardus de Berthensleue, Henningus de Vorland cum aliis pluribus fide dignis. Actum et datum in Lichtenfelde, anno domini millesimo trecentesimo sexto decimo, in ascensione domini.

Aus Dreger'scher Abschrift.

V. Markgraf Woldemar bestätigt den Contract, den die Stadt Soldin mit dem dortigen Capitel des Collegiatstifts wegen der Mühlen getroffen, und gestattet ihr, das vierte Rad anzulegen, am 10. Mai 1317.

Nos Woldemarus, Dei gratia Brandenburgensis et Lusacie marchio, recognoscimus et ad vniuersorum noticiam tenore presentium publice volumus peruenire, quod omnem contractum, quem honorabiles viri, domini prepositus, decanus totumque capitulum ecclesie Soldinensis cum nostris fidelibus ciuibus ciuitatis Soldyn vniuersis tam presentibus quam futuris super venditione et emptione molendinorum ipsius capituli fecerunt, juxta tenorem literarum alternatim traditorum gratum et ratum habemus et tenemus perpetuo pro nobis, nostris heredibus, si quos Deo dante procreauerimus, et successoribus in omni et qualibet sui parte. Insuper predictis ciuibus, vt ex infra scriptis predicta ciuitas valeat emendari, liberam damus facultatem addendi et struendi quartam rotam ad tres rotas prius ad ipsorum molendina positas prope ipsam ciuitatem de nostra pura donatione liberaliter per nos facta. Et ne super premissis omnibus aut aliquo premissorum cuiquam in posterum possit dubium suboriri, presentes literas desuper scribi iussimus et nostri sigilli robore communiri. Actum et datum in Euerswalde, anno domini millesimo tricentesimo septimo

decimo, presentibus nostris fidelibus Droysecone et Slothecone, nostre curie dapiferis, Henrico Schenkone de Schenkendorp, Henrico de Aluensleue et Johanne de Crochere, militibus, cum aliis pluribus fidedignis, die beatorum Gordiani et Epymachi martirum.

Aus Dreger'scher Abschrift.

VI. Markgraf Woldemar verordnet, daß die Städte Berlinichen, Neu-Landsberg, Küstrin, Zellin, Bärwalde, Neu-Bernau und Neuenburg aus Soldin, wie früher aus Straußberg, ihre Rechtsbelehrungen holen sollen, am 26. Dezember 1317.

In nomine domini amen. Vt ea, que in tempore peraguntur, ab obliuione temporis liberi maneant in memoria sempiterna, solent per scripture testimonium robur capere perpetue firmitatis. Hinc est, quod nos Woldemarus, dei gratia Brandenburgensis et Lusacie marchio, recognoscimus in presenti littera publice profitentes, Quod Consules Soldinensis ciuitatis presentes et futuros prerogatiua, que inferius ponitur, duximus fauorabiliter decorandos, videlicet quod consules ac cives presentes et futuri ciuitatum subscriptarum Noue Berlin, Noue Landtsberg, Koftryn, Zellin, berenwalde, Noue Bernowe et Nygenborch de cetero temporibus perpetuis super omni casu et causa postulabunt a consulibus ac scabinis predictae nostre ciuitatis Soldyn ius sibi dari et qualitercumque ipsi ius dixerint, taliter debet a premissis ciuitatibus obseruari cum omnibus condicionibus et modis, quibus a ciuitate nostra Struceberch dictum jus dari solebat. Et vt hec nostra gratia dicte nostre ciuitati Soldyn indulta semper inconcussa seruetur, hanc litteram super eo iussimus dari et sigilli nostri robore communiri. Testes presentes fuerunt nobilis vir Guntherus comes de Keuernberg, Conradus de Wedel, Droyseko, haffo et Wedego de Wedel, Henningus Botel, Mathias de Bredowe, milites, Rodolfus de Lieuendal, aduocatus, Henricus, ecclesie Stendalgenensis decanus, Euerardus Stolpenfis, thidemannus grandzoyensis prepositi, hermannus de luchowe, nostri capellani, cum aliis pluribus fidedignis. Actum et Datum Spandowe, Anno domini Millesimo trecentesimo Septimo decimo, die sancti Stephani prothomartiris, in nostra presentia.

Nach dem Original des Soldiner Stadtarchives.

VII. Markgraf Ludwig bestätigt der Stadt Soldin ihre Besitzungen und Rechte, am 5. Juni 1325.

Lodewicus, dei gracia Brandenburgensis et Lusacie Marchio, Comes palatinus Rheni, Dux Bawarie ac sacri Imperii Archicamerarius, fidelibus suis et dilectis burgenfis in Sol-